



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciæ

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Maemingae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



CONSTANTIAE.

EPITAPHIUM

MANUELIS CHRYSOLORÆ.

Ille ego qui Latium priscas imitari artes
 Explosis docui sermonum ambagibus, & qui
 Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis
 In lucem retuli, Chrysolores nomine notus,
 Hic sum, post vitam peregrina sede quiesco.
 Huc me Concilii deduxit cura, trium dum
 Pontificum Ecclesiam vexaret seua tyrannis.
 Roma meos genuit majores; me bona tellus
 Byzantina tulit: cineres Constantia servat.
 Quo moriare loco nil refert, undiq; calum,
 Pœnarumq; locus mensurâ distat eâdem.

IN SAXO FORNICIS.

Ante aram situs est D. Manuel Chrysolora, miles Constantinopolitanus, ex vetusto genere Romanorum, qui cum Constantino Imper. migrarunt: vir doctissimus, prudentissimus, optimus, qui tempore generalis Concilii Constantiensis diem obiit, ea existimatione, ut ab omnibus summo sacerdotio dignus haberetur, die 15. April. Conditus est anno 1415.

M A E M I N G A E.

D. O. M. S.

Hoc Maria in tumulto ducit post fata quietem
 Felix conjugio, stemmate, prole, fide.
 Hervvorti siquidem pietate & sanguine clari,
 Dum licuit, conjunx par in honore fuit.
 Et bene Lucina Christoq; favente, reliquit
 Ter tria legitimi pignora cara tori.

D d v

*Deseruit tenebras: & sede recepta piorum,
Dulcia perpetua gaudia lucis habet.*

Jo. Henricus Hervvortus Patr. Aug. Ma-
riae Hainzeliae conjugii honestiss. moe-
stus M. H. F. C. Ob. 1564. a. d. 28. Janu-
ar. Vix. an XXXIIX. M. V. D. XII.



COLMARIÆ. IN CURIA.

Oceanus quamvis fluctus pater excitet omnis:
Danubiumq; omnem barbare Turca bibas:
Non tamen irrumpes perfracto limine: Cæsar
Dum Carolus populis bellica signa dabit.
Sic sacra quercus firmis radicibus astant:
Sicca licet venti concutiant folia.

GYMNASII IBIDEM.

Patres reipub. qui docendis atq; discendis, cum litte-
ris, tum moribus ædes hasce posteritatis ergo FF. hortan-
tur pergere, & maxime virtute esse adulescentis, iisq; stu-
diis incumbere, quibus & sibi honori, & amicis gaudio, &
reip. emolumento esse possint. An. Dom. 1539.

Expertes invidentiæ Mufar. fores.

Ibidem ad D. Augustini.

*Nugamur, mortemq; procul procul esse putamus,
At mediis latet hac abdita visceribus.
Scilicet ex illa qua primùm nascimur hora,
Prærepunt juncto vitæq; morsq; pede.
Partem aliquam furtim, qua se metitur & ipsa,
Surripit è vita qualibet hora tua.
Paulatim morimur: momento exstinguimur uno:
Ut lampas oleo deficiente perit.
Ut nihil interimat; tamen ipso in tempore mors est:
Et nunc interea dum loquimur, morimur.*

FRI.